Dissertatio et observatio

Circa morbum fluorem album dictum

fluor muliebris sive albus secundum omnes medicos, est fluxus humoris excrementitii biliosi, aut subalbicantis, qui ex utero modò continenter, modò periodicè, modò erraticè profluit.

Humor ille, quantitate et qualitate plurimùm variat, nunc parcior, nunc copiosior; albidior et cremori ovi[?]e simillimus; quandoque flavus, subviridis et subniger, interdum insulsus et acrimoniæ expers, interdum acer et quasi causticus.

In genere profluit vel a colis uterinis, et tunc sublacteus est, humori scilicet per hæc cola secreto simillimus, vel a vasis lymphaticis et tunc lymphaticam naturam retinet.

ab uteri colis, promanat duplici de causâ, nempè vitio humoris lactei uterini qui per hæc cola secernitur, et vitio ipsorum colorum quæ humorem illum secernunt.

1° vitio humoris lactei, si humor ille tenuior, fluxilior et dilutior, quâ proportione in cola intromittitur, proportione eâdem in uterum guttatim extillet. indè ergo quæcumque possunt lacteum illum humorem attenuare et dissolvere, ea omnia pro remotis fluoris albi caussis jure merito haberi possunt. talia sunt alimenta piperata, salso acria, liquores ardentes et spirituosi, quæ chilum, ac proinde humorem lacteum tenuiorem et acriorem suppeditant, 2° acrior, fervidior, muriatica aut armoniacalis sanguinis constitutio, quæ assiduum chilum, nimis atterit dividitque 3° pathemata vehementiora, iracundia, exercitia nimia, vigiliæ nimis protractæ

2° vitio colorum si nempè ita diducta, ampliata, et hyulca sint, ut humorem lacteum emittant pari proportione qua accedit. ampliantur autem hæc colatoria 1° a sero nimio quo relaxantur, ut in pituitosa constitutione 2° a diuturnis distractionibus quibus toto graviditatis tempore divelluntur; a

lacte vbertim confluente, unde est quod mulieres quæ sæpe peperere, fluore albo sæpissimé laborant.

3.° ab impacto et hærente humore à quo jam anté præternodum distensa fuere cola; unde est quod fluor albus resolutis vteri obstructionibus, sæpé numero succedat, ab vteri vero vasis profluit humor excrementitius qui in fluore albo emitti solet; quia lympha intra ipsa vberius collecta, per dilatata tunicarum spiracula, transudat in cavum vteri: Colligitur autem lympha intra propria vasa quia hæc ab obstructis circumjacentibus vasis — vterinis comprimuntur, solitamque lymphæ transfluenti viam denegant, tum quia obstructa vasa colatoria — vteri, effluxum duplici modo promovebunt. 1.° vasa — sanguifera premendo. et circulatorium motum sanguinis retardando, vberiori lymphæ secretioni ansam præbent. 2.° quia vasa lymphatica angustando lympham — congestam ad diapedesim cogunt.

Diuturno fluoris albi profluvio magna chili quantitas si lacteus, magna vero lymphæ si lymphaticus fluxus fuerit,

utroque modo massam sanguineam quantitate imminuendam manifestum est.

2° sanguinis quantitate imminutâ, debet haematosis pari proportione depravari, cum chili in sanguinem conversio, a copiâ sanguinis vité fermentantis dependeat. hinc intra vasa sanguis crudus et aquosus cumulabitur.

3° imminutâ quantitate et depravatâ qualitate sanguinis, spirituum quantitas, mobilitas et energia imminuuntur et depravantur.

4° debent inde vires corporis, membrorumque motus imminuere pro imminutâ quantitate spirituum.

5° simili de causâ debilitatur cordis motus, unde languidior sanguinis propulsio in continuas partes.

6° imminuto fermentatione et circulatione sanguinis, parteque serosâ et lympatica in sanguine praeter modum redundante, debent multiplici ratione supervenire frigiditas extremorum, pallor faciei, oedema pedum et tibiarum, oppressio et respirandi difficultas, excitatiori cordis motu, palpitatio cordis et syncope.

7o multiplicantur eâdem quoque de causâ obstructiones in plerisque visceribus, ab haerente scilicet in illis humore quem solent secernere; unde praecluso per illa viscera sanguinis transfluxu, serum in cavitates varias exundabit atque hydropes varias accersit.

8o recrementa ab obstructis visceribus in sanguine retenta, febrilem orgasmum producent unde febris lenta quam marasmus consequi solet, tanto potiori jure, quod sanguis quantitate imminutus et qualitate vitiatus; partibus nutriendis non sit comparatus.

9o solet quandoque fluor albus sterilitatem inducere, sive quia materia crassa, mucilaginosa quâ uterus tunc intus obducitur, impedit ne seminales partes sanguini insinuentur; sive quia ovum ab ovario delapsum lubricato uteri nequit adhaerere, ut ad conceptionem foret necessarium. Et haec sunt de quibus circa morbum muliebrem omnes fere medici uno ore fatentur; superaddenda sunt insuper quaedam observationes quae meae nascenti praxi occurrere.

versantur circa mulierem viginti quatuor annis natam, valido et sanguineo temperamento donatam, et a duobus annis conjugatam.

semel a conjugio feliciter pepererat, et tribus mensibus post partum suppressione menstruorum fuit correpta, cui ab usu martialium incautè usurpatorum accedit fluor albus, absque ullo fructu ex parte menstruorum quæ suppressa remansere.

apparebant in eâ phlegmata varia circa osculum uteri, cujus pondus ægré sustinebat. materia fluxus quæ morbum constituebat, aliquando flava erat, aliquando viridis et subnigra et gravé olens, quod impediebat ne maritus ejus cum ea rem haberet, cum præterea ab imperito chirurgo fuisset terrefactus, dicenti se credere causam morbi ejus uxorio in viru quodam venereo latere, cum eam curare non potuisset ab usu remediorum quibus vim specificam agnoscebat obstructiones reserandi.

maritus dubius et anxius circa prædicta ut eam inviserem pluries me rogavit, potius ni fallor

ut animi dubia delerem quam ut morbo auxilium ferrem.

omnia ex votis suis se gessere, nam post scrupulosum examen partium labefactarum a chirurgo coram coram me factum, et symptomatis rite ponderatis, morbum, fluorem album esse firmiter asseravi, quod confirmatum fuit enumeratione rationum subsequentium.

verum quidem est quod fluor muliebris, analogiam non levem habeat cum pure ab ulcerato utero profluente et purulento humore in gonorrhoea promanante; ab his tamen signis infra expositis distinguitur.

1° quidem ab ulcere uteri, quia in eo praecessit inflammatio, nulla vero in fluore albo.

2° in ulcere, adest dolor per intervalla ~~recurrens~~ nullus vero in fluore muliebri

3° quia materia quae ab ulcere profluit purulenta fit, minimé vero quae emittitur in fluore albo.

Distinguitur vero a gonorrhoea quia in illa praecesserunt ulcerosa inflammatio in genitalibus

Disuria, et Difficultas coeundi quæ omnia non sunt in fluore albo

2° quia gonorrhœa subito invadit, certumque habet principium notabile fluor vero sensim invadit et per gradus invalescit.

his, certius signum adjungi potest ex inspectione genitalium desumptum. si enim per lacunas aut emissaria glandularum cowperianarum materiam purulentam effluere observetur, gonorrhœam adesse fere manifestum est, in casu narrato, materia ex utero scaturiebat et minime purulenta erat sed mere lymphatica; Diversis tamen coloribus aliquando infiiciebatur, et certis temporibus foetorem intolerabilem referebat, quod chirurgum in errorem induxerat. ei Demonstravi illos colores et odores, Deduci Debere vel a varia principiorum proportione, vel quod veritati magis consentaneum est, a connubio recrementorum variorum, Bilis potissimum quæ cum viridis, flava, subnigra esse soleat facile partes, similibus coloribus tingere.

pretereà pars sinistra uteri, subsidens et relaxata sentiebatur, et ægrotans de pondere in illâ parte ut plurimum conquerebatur, in quâ ulcus latere crediderat chirurgus, ita ut nunc de ulcere nunc de gonorrhæa dubitaret. sed cum illud symptoma in eo morbo minime oorum sit utrique negavi; nam fluori albo inveterato, uteri procidentiam supervenire posse, quis non videt? sive quod ligamenta relaxata, elongantur, sive quod uteri parietes nimium emolliti, proprio pondere concidant. prolapsus autem uteri, priori causa, totalis; posteriori vero partialis est, quemadmodum fuit observatum in muliere nostra quæ pondus ex sinistra tantum parte sentiebat.

prolapsus ille uteri, et inspectio materiæ fluxus, mihi causam morbi lucæ clarius ostendere; illis addita menstruorum suppressione quæ præcesserat

et quæ, morbum ab obstructionibus vasorum et spissitudine liquorum, provenire sufficienter demonstravit.
His omnibus persuasus, et morbum debellare animo flagrans, therapeiam ex martialibus jam nimis resurpatam omnino neglexi; maximè cum certa essent in sanguine et humoribus acrimoniæ signa, idcirco præmissa venæ sectione e brachio et purgatione blandâ, juscula ex plantis amaris confecta, et ptisanes acrimoniam mitigantes prescripsi; cum opiata absorbenti quâ singulis utebatur ægrotans.
post usum sufficientem et fructuosum remediorum predictorum, ad Balneum transivimus in quo bis in die per septem dies immergebatur non neglectis jusculis amaris quæ ex egressu balnei epotabat, pro potu ordinario aquam martialem factitiam indicaveram, e quibus omnibus utilè

vitæ peractis temperamenti validitatem recepevari animadvertebam, eâ proportione qua acrimonia liquorum signa evanescebant. verum cum ad perfectam curationem nondum pervenisset aegrotans, ad aquas minerales de passi eam immisi.

post aquarum redditum quibus felicissime usa erat, ei Lac asininum proposui, cum levi infusione squinæ correctum, quod fecit per mensem integrum post quem iterum jusculo amara per quindecim dies hausit; quibus omnibus perfecte fuit sanata his additis suffumigiis repetitis, ex plantis aromaticis conditis et utero exceptis, ut ab iis uterus exsiccaretur, et partes laxiores debito tono restituerentur, quæ omnia mirabili cum successu se gessere, nam menstrua bene colorata fluori albo successere, quæ ex conceptione et graviditate foelicissima evanuere.